

*Disputatio Historico-Theologica,*

IN QVA

**AGAPAS**

**NASCENTIS ECCLE-  
SIAE CHRISTIANAE,**

*1 Cor. XI. 20. 21. lud. v. 12.*

*Favente Summo Numine,*

PRÆVIA CENSURA, EX BENEVOLO VENERANDÆ  
FACULTATIS THEOLOGICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

**DN. JOHANNEN NICOLAO  
QVISTORPIO,**

SS. THEOL. D. & P. P. O. AD DIV. NIC. PAST. & REV.  
MINISTERII SUPERINTENDENTE

*Avunculo suo Dilectissimo,*

PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE FILIALI CULTU  
& OBSEQUIO SEMPITERNUM PROSEQUENDO,  
CIRCULARITER

Publicè ad disputandum placidis Commilitonibus  
proponet

**HENRICUS CHRISTOPHORUS POLTZIUS,**

AUCTOR & RESPONDENS.

DIE X. JUNII, ANNO MDCCXI.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.

*46. a. XCI. 7.*

coll. diss. A  
2, 7

DEO  
PATRI SUO BENI-  
GNISSIMO.  
PATRIÆ OPTIMÆ.  
PATRONIS  
MUNIFICENTIS-  
SIMIS,  
&  
FAUTORIBUS CO-  
LENDISSIMIS,



*Hasce Studiorum suorum primitias*

*Ut*

AGAPAS SACRAS

Offert

A. & R.

F. N. F. O!



Aulus Judæorum & Gentilium, hodièq; Christianorum ad consummationem seculi optimus Doctor, in Ep. ad *Hebræos* C. XIII, 1. & 2. inculcat fraternam charitatem, & hospitalitatis memoriam, dicens: Ἡ φιλαδέλφια μὲνέτω. τῆς φιλοξενίας μὴ ἴπιλανθάνεσθε. Juxta Versionem Lutheri elegantissimam. **Bleibet fest in der Brüderlichen Liebe. Gastfren zu**

seyn vergesset nicht. *Erasmus Schmidius* in *Versione*, & *declaratione* N. T. vertit. *Fraterna charitas maneat constans. Hospitalitatis ne estote immemores.* Et illud, *maneat constans*, accuratè defendit: Quia ambiguum fortè videri possit, præsertim in Germanica lingvâ, si diceretur. **Die Brüderliche Liebe bleibet.** Incertum enim erit, an constanter servari, an omitti debeat: sicut Germani dicunt: **Laß es bleiben i. e. Es mag bleiben.** Quam ambiguitatem ut tolleret Lutherus. περιφρασικῶς & quidem nervosè reddidit. **Bleibet fest in der Brüderlichen Liebe.** Et *Megalandrum* hunc sequitur *Philologus Excellent.* supra citatus, hinc *admaneat* adjecit: *Constans. Fraterna charitas maneat constans*, h. e. firma, & stabilis, nec eam à se abduci unquam verè Christianus patitur. Et *Hospitalitatis* nomine *Synecdocha* quadam, omnia misericordiæ, & charitatis opera, quorum meminit Christus *Matth. 25. v. 35.* complectitur. *Agapasque* sic ritè tales commendat. Quæ autem non videntur placere, hodiernis sanctulis *Pietistis* vulgò dictis, quibus in more positum, ut eos pro carnalibus impiisque habeant quos secum facere non vident: Quales eleganter sub finem seculi penultimi *B. Tilemannus Heshusius* exhibet, scribens: *Sunt hypocritæ, qui arrogant sibi magnum pietatis studium, & singularem sanctitatem, verum præstigiæ sunt, omnia in ipsis sunt simulata, colludunt cum Patronis correptorum, student calumniis &c.* Insistunt hi vestigiis

Anabaptistarum, qui omnia convivia, & in legitimo suo usu, omnemque hospitalitatem rejiciebant, ut testatur *Bullingerus* Von den Wieder-Täufern lib. 1. cap. 10. Sie scheuen alle Hochzeiten / Zusammenkünfte / Gast-Mahle etc. Sic *Clariss. M. Franck*: in dem *Glauchischen Bedenck-Büchlein* Convivia charitatis, seu Agapas instituere, iisdemque interesse, ac in illis ad societatem, imo etiam ad delectationem cibo potuque uti, plane non placet, scribens cit. lib. p. 193. Die Basterenen die heut zu Tage leider! üblich sind/sind mehr denn zu viel an der wahren Ruhe in Gott hinderlich / und also auch NB. sündlich. Conf. *Maxim. Venerand. D. Schelguigii Supplementum Synopsos* p, 219. Et *Arnoldus* veritatis ille historicae deturbator splendidissimus, optimos Ecclesiae nostrae Doctores, hospitalitatis & Apostolicae & Agaparum veterum Christianorum, (in probato usu) haud immemores, salutatur in *Schmarözer* in Part. 2. der Kirchen und Reher-Historie Lib. 16. §. 21. quia Anabaptistis contraxerunt, die die Tauffe-Mahlzeiten / und andere solche Gelage vor unrecht gehalten. Conf. *Generos. & Max. Rev. D. Krakevitzi* Disp. de Adiaph. in communi vita occurrentibus quæst. 6. Sed mitto hæc: Mihi animus est, quædam Exercitii gratiâ de conviviis veterum Christianorum, *Agapis* dictis, pro modulo ingenii proponere, in duabus sectionibus, quarum prima *Historiam Agaparum* altera *Problemata* quædam exhibebit; Probe novi esse materiam difficultatibus haud exiguis laborantem, non enim immeritò conqueritur *Celeber. Philip. Job. Tilemannus dictus Schenk.* in *Disp. de Agapis Veterum*; annexa ejus commentario in *Epist. Judæ* p. 11. §. 2. dicens: Difficultas hic fateor, obscuritas ac ambiguitas varia, illam temporis distantia, istam obsoleta Patrum vestigia, hanc Eruditorum dissensus causantur. Et quamvis plurima sciat aliquis in hac materia, plura tamen ignorare se fatebitur. Promitto, autem mihi à B. L. æquam censuram ac favorem, notante, quod primum sit meum specimen Academicum; Confido insuper Patri meo in *Jesu Christo benignissimo*, quod me Spiritu suo ducturus in omnem Veritatem, studiaque mea directurus sit in sui nominis gloriam.

## SECTIO

# SECTIO HISTORICA.

## §. I.



Ascribitur hæc mea Disputatio ; *De Agapis nascentis Ecclesie Christianae.* Quo vero eo melius mens mea pateat, Etymologia hujus vocis primùm erit spectanda; & sic ut græca, è græcis erit derivanda, & quidem a voce ἀγαπάω diligo, adamo, colo, amplector, amo. Verbum

hoc esse compositum a voce ἄγαν quod valde, & παύομαι acquiesco, vult Budæus, eaque indigitari quietam dilectionem. Aliis videtur vocabulum ἀγάπη derivari ab ἀγᾶν & ποιῆν, quia amor semper operosus est, vel ἀγεῖν καὶ πᾶν omni modo se movere ad rem amatam, ut illa *perfruamur* conf. Leigh. in Crit. S. N. T. p. 3. & 4. Quidam vocem μονογενῆς, & Ἀγαπήτης pro Synonymis habent, de quarum vocum differentia vid. Hakspar. in Annot. ad Matth. 3. v. 17. it. Stolberg. in Disp. de Agapis ad Jud. v. 13. quæ inserta est Thesaur. Theol. Philolog. Dissertationum in N. T. p. 801. Vox hæc vi vocis, ex Philologorum sententiâ certè denotat, vehementem affectum, ardentemque amorem, quò quis ex intimo cordis affectu semet alteri jungit, & præter illum nihil amplius quærit, amatumque pro viribus juvat vid. Leigh. p. 4. l. c.

§. II. Vocem hanc vero æquivocam esse in propatulo est. DEus ipse per eminentiam vocatur Ἀγάπη 1. Joh. 4. v. 8. & 16. ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν. Nec non de S. Cœna adhibetur, ut notat. B. Proavus meus D. Joh. Quistorpius in Disp. de S. Cœna §. 13. Anno Christi 1645. Rostochii publ. ita scribens: S. Cœna dicitur Ἀγάπη dilectio tum respectu, Christi ad nos, quod sacro hoc epulo, summam animi erga nos dilectionem contestatus sit, tum respectu nostri ad Christum, quod dilectione, & obedientia erga illum moti, desideremus his epulis uti; tum, ideo, quia olim in S. Cœnæ administratione, ditiores solebant panem, & vinum, aliaque ἐδέσματα offerre, ex quibus pars à sacerdote consecrata, populo in Eucharistia distribuebatur, reliqua vero ministris

„stris Ecclesiae & pauperibus alendis & reficiendis cedebat, sicut hujus  
 „moris vestigia suppeditat ipse Paulus 1. Cor. 11. v. 21. it. Jud. in Epist.  
 v. 12. conf. & Gerhard. Locor. Theol. loco de S. Cæna Tom. 5. cap. I.  
 §. 7. n. 3. Hæretici Carpocratiani, Gnostici & Manichæi convivia &  
 sua salutabant ἀγάπας ad morem Christianorum de quibus autem  
 notat. Epiphani. Lib. 2. hæres. 26. Tom. 2. & August. Lib. ad quod V. D.  
 hæres. 46. Tom. 6. colum. 23. seqq. quod in illis non tantum concubitus  
 exercuerint promiscuos, verum etiam nimio vino & potu inebriati,  
 (sit venia verbis) semina & menstrua Eucharistiæ immiscuerint: Hæc-  
 que horrenda convivia dixere Ἀγάπας. Hoc tempore & cœpit Agape-  
 torum & Agapetarum pestis, quæ multorum animos corrumpit, hi e-  
 nim cum nomen cœlibatus professi, non pudori suo parcerent, & illi  
 quidem cum Diaconissis, hæ autem cum Monachis in eodem domicilio  
 versarentur non sine malo exemplo, de quo multis conqvesti sunt pa-  
 tres, quorum testimonia recitat Polyhist. B. Schurtzfleisch Disputat.  
 de Agapis Veterum §. 4. quæ legitur Tom. ejus Disp. collect. edit. Parte  
 2. Disp. XXXVII. Acceptionem hanc mittimus, & cum Patribus Eccle-  
 siæ venerandis hoc vocabulum de sacris epulis primorum Christiano-  
 rum usurpatum notamus, Convivia autem primorum Christianorum,  
 erant vel natalitia, vel funebria, vel connubialia &c, de quibus vid.  
 Greg. Nazianzenus de vitæ differentia: It. Dilberus Tom. 1. Disp. 15.  
 pag. 465. Sic quoque Balsam. testim. ad Can. 27. Concilii Laodic.  
 ἀγάπαι καλεῖνται τὰ παρὰ φιλοχριστῶν γινόμενα συμπόσια  
 i. e. Agapæ vocantur a Christianis instituta convivia it. Tertul-  
 lian. &c.

§. III. Hæ Christianorum Agapæ aliis quoque gaudent ti-  
 tulus, sic enim dicuntur convivia charitatis, it. συμπόσια κοινὰ,  
 κοίμαι ἐστιάσεις it. τραπέζαι vid. Act. 6. v. 2. huc conf. Oecum. in  
 in Epist. Judæ v. 12. Ἐν κατὰ τὸν χρόνον ἐκείνον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις  
 γινόμεναι τραπέζαι, ὡς καὶ ἀγάπας ἐκάλουν, & ejusmodi synoni-  
 micæ appellationes plures extant, quæ vero omnes adducere nostri  
 non est instituti, chartæ parcentes.

§. IV. De citatarum existentia multa proferre, haud vide-  
 tur esse proficuum, qui enim eas negat, non tantum ipsam Scriptu-  
 ram

ram

ram, verum etiam antiquam fidem historicam destruet. Quo vero eo melius pateat, quid per agapas intelligamus, ita eas dabimus: *Sunt tessera fraterna inter Christianos charitatis, qua simul cum S. Synaxi convivium instituerunt V. Christiani; inque illis divites panem, vinum, pecuniam, aliaque necessaria contulerunt, & pauperes cum divitibus promiscue comederunt, ut & absentibus egrotis particulas quae καὶ ἐλεησίνη elemosyna dictae mittere sunt soliti* vid. Hildebr. Antiquit. p. 177. & *William Cave.* In dem ersten Christenthum p. 375. eas ita exhibet, ehe das Heil. Abendmahl ist ausgespendet worden / ist die Gewohnheit gewesen / daß sie ihre Geschenke und Opffer dargebracht / ein jeglicher nach seinem Vermögen / und zwar allezeit von den ersten Früchten ihres Einkommens / welche von dem Priester / auff den Altar und Tische sind geleyet worden / in Meinung daß es keinem wol anstünde / wenn er vor dem Herrn leer / und mit blossen Händen erschiene. Et porro. Aus diesen Opffern nahmen sie vermuthlich / (oder sandten zum wenigsten ein und anders) zu den allgemeinen Mahlzeiten / welche damals allezeit bey haltung des Sacraments angestellet wurden / da Reiche und Arme alle zusammen / an einem Tische mit einander speiseten. Diese Gast-Mahle nenneten sie Agapas oder Liebes-Mahle.

S. V. Hæ agapæ summâ observantia a primis Christianis celebrabantur teste *Tertulliano* ex *Jure Consulto Presbytero Romano*, quod scriptum inter omnia scripta excellit in *Apol. c. 39.* ita differente. *Cæna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim αἰγάπη id quod est penes Græcos dilectio.* Quantiscunque sumtibus constat *lucrum est, pietatis nomine facere sumtum, siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus.* Nil vilitatis, nihil immodestiae admittit, non prius discumbitur, quam oratio ad *DEUM* prægustetur, editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile, ita saturantur, ut qui meminere, etiam per noctem adorandum *DEUM* sibi esse, ita fabulantur, ut qui sciant, *DEUM* audire, & post aquam manualemente & lumina, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium, *DEO* canere, hinc probatur quomodo biberit. *Æque oratio convivium dirimit inde dis-*  
ceditur,

ceditur, non in catervas lusionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lascivarum, sed ad eandem mensuram modestiae & pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam. Hec coitio Christianorum. videatur & Augustinus l. 20. contra Faustum Manichaeum c. 20. confirmata fuere haec convivium in Synodo Gangrensi celebrata in Paphlagonia circa An. Domini 324. teste Carranza in summa Conciliorum p. 96. Ita enim Canon XI. sonat: Si quis despicit eos, qui fideliter Agapas id est convivium pauperibus exhibent, & propter honorem DEI convocant fratres, & noluerit communicare hujuscemodi vocationibus, parvi pendens, quod geritur. Anathema sit. Hieronymus & de iisdem in 1. ad Corinth. 11. Ecclesiae convenientes, oblationes suas separatim offerebant, & post communionem, quaecunque eis de sacrificiis superfuissent, illic in Ecclesia communem Coenam comedentes, pariter consumebant: Chrysostomus insuper Homil. 27. in 1. Cor. 11. statis diebus mensas faciebant communes, & peracta Synaxi post sacramentorum communionem, omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus etiam & qui nihil habebant vocatis & omnibus communiter vescentibus vid. Exercit. Theol. Zeidleri de Desinit Haeretici p. 189. ex his & aliis Stolbergius l. c. tale fert iudicium. Digna sane hominibus Christianis consuetudo, sed & pro temporis, conditionisque ratione perquam necessaria, sub uno capite Christo amicè conspirent membra, pietatis officium. De communibus bonis victum parare universis ipsa aequitatis, & necessitatis lex postulabat. Minutius Felix qui Tertulliani *συνχερον* perhibetur, in egregio scripto sub nomine Octavii (in quo scripto non est ulla linea frustra posita, & exhibet Dialogum nempe ubi homo Christianus cum gentili introducuntur ut collocutores; vulgo inscribitur Octavius Arnobii adversus gentiles: sed falsa est inscriptio, ut bene notat Strauchius in Colleg. S. H. E. MSS.) Convivia inquit non tantum pudica colimus, sed & sobria, nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus.

S. VI. Riturum vero hunc esse per antiquum extra controversiam est, unde vero originem habeat, de eo diversae eruditorum dantur.

tur.



tur sententiæ. Quidam ex Gentilismo ortas esse dicunt. Verùm non probabilè Christianos convivia in honorem Diaboli adornata esse imitatos, utpote qui diabolicis operibus renunciabant, imo primum Concilium Hierosolymitanum Canonicum expresse jubet, abstinere a sacrificio idolis dicato Act. XV. v. 29. Judæos peractis sacris convivia instituisse patet ex Nehemiæ VIII. v. 10. conf. *Daniel Fesselius in Advers. S. p. 69.* & hunc Judæorum morem inculpabilem, cum ante esum paschæ, commune præmiserunt convivium, Christus sacram Cœnam instituens, non detestatus est, & ante ejus institutionem communes præmisit epulas, ac ab his H. E. scriptores & alii Agapas nostras derivare non dubitant, & jam Apostolorum ævo usitatas fuisse, insinuare existimo loca 1. Cor. II. v. 20. 21. 2. Petr. 2. v. 13. 17. & Judas v. 12.

§. VII. Hæ vero Agapæ à Divitibus conferebantur, hi enim victum necessarium, non tantum pro sacra Synaxeos distributione, verum etiam ad recreationem pauperum, imo & ipsorum incarceratorum, amoris testandi ergo in membra Christi, ad altare afferebant, ut testatur *Tertullianus l. c. & lib. ad Martyras: Martyres inquit incarcerati de uberibus Ecclesiæ pascebantur.* Hinc *Cyprianus* (ex Dæmonum olim cultore celebris tunc Latinæ Ecclesiæ Doctor factus secul. 3tio.) opulentam viduam reprehendit, quod aliorum oblationibus vescatur, cum ipsa nihil ad Dominicam contulerit *vid. Hildebrand. Antiquit. p. 178. conf. August. Lib. 20. contra Faustum Manichæum, & ex iis Centur. Magd. Cent. 3. c. 7. c. 155. §. 20.* His vero Agapis non idolorum cultores, verum Ecclesiæ Christi membra, & quidè promiscue, tam divites quam pauperes, tam viduæ quam Orphanî, tam peregrini quam exteri, imo Doctores & Auditores intererant ut testatur *Chrysostomus Homil. 27. in 1. Cor. II. conf. Casalium de V. Christianorum Ritibus p. 134.* Exceptis tamen lapsis, & qui metu persecutionum Ecclesiæ consortium reliquerant, qui vel erant, Thurificantes, vel Libellatici, vel Traditores: nec nondum per baptismum Ecclesiæ inserti Catechumeni.

§. VIII. Hæ Agapæ dispensabantur à Ministro Ecclesiæ, cum enim dona a divitibus offererentur, Ministro Ecclesiæ dabatur potestas ea distribuendi. Sic enim Justinus cognomento Philosophus circa medium seculi secundi florens inquit: Apol. 2. *Τὸ συλλεγόμενον ὡδὴ τῶ παρεστῶν ἐπιτίθηται, καὶ αὐτὸς ἑπι-  
κέρει*

B

κέρει

κρη̄ει ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν, λειπόμενοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς ἔσσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις, ξένοις, καὶ ἀπολω̄το̄ πᾶσι τοῖς ἐν χρεία ἔσι κηδεμῶν γίνεται. Id est Collecta deponuntur in manus ecclesiae Ministri, is autem succurrit pupillis, viduis, & iis qui ob morbum, vel aliam ob causam egent, qui- que in vinculis sunt, & peregrè advenientibus hospitibus, & ut simpliciter dicam, is omnium Curator est it. *Gebh. Theod. Meier, Codice Canonum Univ. Eccles. Can. 67. p. 75. qui Canon ita sonat. Si quis dederit, vel acceperit fructuum oblationes, prater Episcopum vel eum qui constitutus est ad dispensationem beneficentiae, & qui dat, & qui accipit anathema sit.* Et tandem hæ Agapæ osculo charitatis, (quod dicebatur sanctum, ideo, quod non sapiat carnales affectus, nec suavia venerea, sed christianam charitatem. Tertullianus eleganter hoc osculum S. vocat obsignaculum precum, quia preces publicæ, eodem quasi obsignabantur, de quo in subsequ. plur.) claudebantur; Tale reo tempore erat notissimum ut Apostolus testatur Rom. 16. v. 8. I. Cor. 16. v. 20. conf. Justinum Martyr. Apol. 2.

§. IX. Quamquam itaque perpulchrè convivia illa erant adornata, inque DEI honorem & Egenorum sustentationem dicata; attamen calumniis adversariorum exempta esse haud potuerunt, hi enim omnem operam navabant ea convitiis proscindere, vociferantes, ea esse luxuriosa, in quibus Christiani voluptatibus, nimioque cibo & potui supra modum dediti essent, imo & conjurationis adversus magistratum ob unitatem animorum, ut videre est ex Tertulliani Apol. c. 39; & quod maximum accusabant eos Thyrsisterii vulgò *der Menschen-Fresseren* / quod tamen nullo demonstrare fundamento poterant. Harum cavillationum autores primarii erant ex schola Gnosticorum, accedentibus gentilibus, fidem habentibus, talibus delatoribus: Ast has calumnias *Athenagoras, e Philosopho gentili Christianorum defensor strenuus, sub Antonino & Commodo legatione functus*, pro Christianis, item Tertullianus Apol. c. 39. refutarunt, quorum verba citare paginarum angustia prohibet.

§. X. Tandem, cum convivia ista successu pessimorum temporum in dissensiones, contemptum pauperum, luxum, nimiamque lasciviam & petulantiam degenerassent, de ecclesiis omnibus fuere sublata.

sublata. Sic enim sancivisse legimus Concilium Laodicenum habitum A. C. 364. antiqua nobilitate insigne. *Can. 28. Non oportet in Basilicis s. Ecclesiis Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere. Eadem & promulgat Concilium Carthaginense III. seculo 4to. habitum Can. 30. Nulli Episcopi vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illa reficiantur. Populi etiam, ab hujusmodi conviviiis, quantum fieri potest, prohibeantur: Conf. Centur. Magdeb. Cent. IV. c. 6. it. Fess. in Adver. Sacris Sect. 1. c. 14. p. 73.* Sic publica autoritate ab universa Ecclesia sunt proscripita quod *Hilibrandus in suis Antiquitatibus p. 178. factum Anno 328. affirmat, inque eorum locum mos fuit introductus colligendi Eleemosynas cum concio haberetur, qui & hodie in nostris Ecclesiis, (durch die sogenannte Kling-Beutel) observatur.*

§. X. Sic Mos & in Ecclesia olim erat de nocte convenire tempusque vigiliis & precibus, aliisque exercitiis sacris per agere cum jejuniis: praesertim circa festa magna, imprimis Festo Paschatos, ut patet ex *Tertulliani lib. 2. ad uxorem c. 4. Lactant. Lib. .7 c. 13. Eusebii lib. 4. de vita Constantini Magni. Moles cereorum in vigiliis Paschalibus accensas, unde natus est cereus paschalis. Ambrosius refert sermone 60. jejunavimus ait Sabbatho, vigiliis celebravimus, orationibus percunctanter institimus &c. S. Augustinus Lib. IX. Confess. C. VII. Hymnos Vigiliis Mediolani primum addictos, & inde per universam Ecclesiam traductos commemorat S. Hieronymus in libello contra Vigilantium, Vigiliis in tantum tuetur, ut propter earum contemptum Vigilantium Dormitantium appellet. Verum cum temporum successu ex nocturnis conventibus ad libidinem explendam aliaque scelera perpetranda non pauci occasionem sumerent, fuerunt & ista passim pedetentimque abrogata, omnino autem vigiliis abrogatum ixit Concilium Sabiense Sec. XIV. coactum teste Zeidlero (Viro S. T. in Hist. Eccles. versatissimo) Tract. de definit. haeretici p. 191. „Quia in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri, aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda saepe ac enormia sub hac bonae specie committuntur, ipsas fieri de caetero firmiter prohibemus. Qua de re Mantuanus de Festis:*

*Quod nostri in templis Atavi vigilare solebant  
Excubiasque pati, solennia mane sequenti*

*Festi*

*Festa recepturi, morem nova sustulit etas,  
Nam quod nox sceleri solet esse occasio, & illud  
Observant, qui furtivolunt committere tempus.  
Jejunare diem visum est sapientius illam  
Quæ præit, & clauso noctem dormire cubili.*

*vid. Hildebrand. de Ritibus S. S. XXI. in fine. Sed properamus ad sectionem problematicam.*

## SECTIO PROBLEMATICA.

### §. I.

**A**bsolutà sectione historica, jam progredimur ad Problematicam. Et sic (1) quæritur *Utrum Agapæ in puriore Ecclesia cum S. Synaxi fuerint conjunctæ?* Affirmativam tenent, qui notant dictum Pauli 1. Cor. II. v. 20. de Agapis agere, & qui sequuntur optimos antiquæ Ecclesiæ Doctores, *Augustinum* ex primis scriptoribus Ecclesiasticis acutissimum, *Theophilactum Chrysoctomi abbreviatorem felicissimum.* *Oecumenium* cæteras è patribus Græcis impr. in Epistolas Pauli compilatorem circa medium Seculi XI. Doctorem celeberrimum, & fermè omnes, qui olim Agaparum mentionem fecere, quorum verba recitare plagularum angustia non permittit. *Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus in tractatu, de Veteribus Ecclesiæ Ritibus emendatius edito a Gebhardo Theodoro Meiero Theol. Helmstad. anno 72. lib. 1. Obs. 18. de Agapis adversam tenet sententiam, & plane confidens suæ sententiæ scribit num. 1. Conducit ad intelligentiam Patrum, & ad defensionem doctrinæ fideique Ecclesiæ planum fieri quid essent Agapæ NB. docerique in illis nullam fuisse Eucharistiæ mentionem, rationem dat, quia ex sua hypothese. Agapæ, cœna erat, quæ fiebat tantum vesperi juxta *Tertullianum in Apologetico c. 34.* Eucharistia autem non nisi manè sumta sit, ante omnem cibum, idque probare nititur testimonio *Tertulliani, & Plinii secundi in epistola ad Trajanum.* Quæ autem omnia non firmo gaudent fundamento. Ipse *Albaspinæus* in notis ad lib. 2. *Tertul. ad Uxorem c. 4. Qui nocturnis convocationibus &c.* Si in Ecclesiam convenire non poterant interdium, nocte plebem convocabant, addit: aut de fuga in persecut: si colligere interdium non potes, habes noctem. Ex quibus sat patet,*

tet, Cœnam manè jejunis non porrigi ubiqve consueviffe, cum mane convenire non potuere. Socrates lib. V.H.E. c. 21. & Sozomenus Lib. 7. H.E. c. 19. apertè testantur in multis Ægypti urbibus & vicis jam pransos, & omni ciborum genere saturatos sub vesperam mysteria percipisse, & quid opus est testimoniis humanis, habemus testem ipsum S. Sanctum Act. 20. v. 7. in citato versu enim utrumqve convivium fuisse celebratum & quidem Agapas post Eucharistiam omninò rectè arbitratur Beatus Avus M. Job. *Quistorpius* II. in suis notis ad Act. cap. cit. Provoco &, ut alios taceam, ad optimum & sincerum Ecclesiæ nostræ Theologum. B. Job. *Gerbardum* Tom. V. in Loc. de S. Cœnâ §. 7. ita differentem: *Munera illa vocabantur ἀγάπαι, quia erant charitatis Christianæ exercitium & indicium. Sed & in quibusdam locis cum administratione Cœnæ, publica Convivia ab opulentioribus institui consueverunt, ut apparet, I. Cor. II. v. 21. ac talia convivia itidem τῶν ἀγαπῶν titulo fuerunt insignita, ut videre est ex epistol. Jude v. 12. &c.* Non absolutè autem defendimus, quod Agapæ in primitiva ecclesia, semper cum S. Synaxi fuerint conjunctæ, lubentes damus, in diversis Ecclesiis diverso diei tempore, diverso modo, Agapas esse celebratas, prout consuetudo Ecclesiæ exigebat. conf. *Schurtzfleisch. Diss. de V. Agap. ritu* §. 19. vid. *Thomæ Goodwini Moses & Aron à Joh. Henr. Höttinger.* editus Anno 1710. lib. 3. cap. 2. p: 477.

§. II. *Qu. An Agapæ ante, an post S. Cœnam fuerint habitæ?* Fatemur quod in diversas Theologi & Historici eant sententias. *Opt. N. Chemnitius in aureo suo Examine Concil. Tridentini Part. 2. ad Canon de aqua miscenda in calice fol. m. 170. col. 1. ita loquitur. In primitiva Ecclesia post communionem convivia, quæ ἀγάπαι appellabant, magna sobrietate de pane & vino, quæ ad mensam Domini oblata fuerant, celebrabantur. B. M. Avus in Piis Desideriis suis §. 7. scribit: Inter Christianos primævos, qui simul de S. Sinaxi participarunt, tam arctum amicitie vinculum necebat, ut id gentilibus suspectum esset. Nam pro altero mori communicantes Fideles parati erant, illi finito hoc sacro epulo, invicem Cœnam ἀγαπῶν a mutuo amore dictam, adornabant. Sequuntur in his Chrysostomum. cujus verba supra citavimus Sectio 1. §. 5.* Alii putant accuratius

dici; quod ante Coenam sint habitæ, ac provocant ad historiam Jesu Salvatoris nostri, qui epulo sacri paschatos finito, corpus sanguinemque suum, in suo Testamento ultimo, Apostolis suis fruendum dedit, atque hac ultima, & in perpetuum valitura voluntate definivit, ac immutabiliter constituit. *Citant hi pro se Augustinum Hipponensem Præsulem* (ut alios taceam Latinos Patres) *ita in Epistola ad Januar. 118. scribentem.* Quando primò acceperunt discipuli corpus, & sanguinem, non acceperunt jejuni. Num quid tamen propterea, calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à Jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui S. ut in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. *Nam ideo per universum orbem, mos iste servatur. Accedit his ex recent. B. Carpzovius in dem Evangelisten V. T. Jesaie Sonn- und Fest-Tages Evangelien/Parte 1. p. 662.* Verum nulla argumentorum pugna est: Christi actio est nostra institutio, quoad Sacramenta N. T. non circumstantialia sed substantialia. Et ab observatione ad obligationem N. V. C. utrumque enim admitti potest, rectè inquit, *Schurtz-fleisch. in cit. Disp. §. 23.* cum ante, tum post Coenam ex libertate Ecclesiæ.

§. III. Qv. ulterius. *Utrum in locis 1. Cor. 11. v. 20. 21. & in Epist. Jud. v. 12. agatur de Agapis?* Nos salvis aliorum sententiis, affirmativam fundatam in his dictis esse sentimus. Nam. 1. Cor. 11. v. 20. 21. taxat Paulus abusum, qui in Coen. Dominicam obrepserat; nec frustra repurgationem abusus instituit. Nam ubi verbum abusu corruptum est, & Sacramentorum verus usus sublatus, hæresis facilè sequitur, ut sat suo exemplo comprobatur Ecclesia Pseudo Catholica Romana. Dicit, *convenitis in eundem locum, vel cum conveneritis, ἵνα τὸ αὐτὸ, in unum*, sive de mysteriorum perceptione, intelligendum esse veteres & recentiores intellexerunt, cum Ecclesia celebratura Coenam Dominicam conveniebat sedulo ad audiendum verbum Domini. Hinc concio initio habebatur, mox preces publicæ a toto cœtu fiebant, hinc verba institut. recitabant, & S. Coena administrabatur, postea collecta fiebat pro pauperibus. Ex collecta commune epulum quoque pro cujuslibet loci ratione adornabatur. Sic quam plurimi prætextu Dominicæ Coenæ sumendæ, ad unam Coenam conveniebant, quæ si unius Patris-familias familia. Et agere quidem simulabant, quod

quod ultimâ illâ Cœnâ , Dominus cum suis discipulis egit , sed eos nihil minus agere apertè inculcat Apostolus dicens *ἄκ ἐστὶ κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν*. Hoc non est Dominicam Cœnam edere. Siquidem illa Cœna Dominica & Magistrum & Discipulos , In una mensa habuit. Vos autem non in una mensa divites & pauperes collocatis. *Nam unusquisque, propriam Cœnam præoccupat in vescendo, & hic quidem esurit, ille vero ebrius est.* Ita non est Dominicam Cœnam edere, quod enim Dominicum, id est commune. Et si Christus tantus Dominus non est dedignatus secum habere suos, qui & proditorum non repulit, quomodo Cœnam Dominicam celebrabunt, qui fratres habere convivas in Agapis dedignantur. Taxantur ergo quod ventri indulserint, & quod fratres contemserint. Unde verò ortus sit hic abusus, aut qua occasione tam citò emerferit, dubium est. Dicerem, quod, quum ad Agapas divites soliti essent domo afferre, unde promiscuè cum pauperibus & in communi epularentur, postea exclusis pauperibus soli se suis lautitiis ingurgitare cœperint, quem abusum quam maxime exaggerat Paulus dicens *Ἔ hic quidem esurit, ille vero ebrius est.* Qui sane non levis fuit in tam S. S. Cœna crapulari & inebriari. Hinc scandala infirmorum orta sunt infinita; hinc dissensiones, rixæ, contentiones, unâ cum contemptu & confusione pauperum. Quum enim vel ante vel post S. Cœnam lautè se tractarent divites, pauperibus quodammodo videbantur exprobrare suam paupertatem vel egestatem, eosque exponere ludibrio, quod turpe erat spectaculum, & indignum tam sacro conventu. Ex quibus sat patere credo, quod in hoc loco agatur de Agapis, nullibi enim legitur quod quis in sumptione S. Cœnæ inebriatus fuerit. Ob Agaparum abusum E. Apostolus v. 22. plane rejicit conveniendi morem Corinthiorum ad Agapas, cum non debeat ecclesia convenire nisi ad audiendam doctrinam, ad fundendas preces, & hymnos DEO canendos, ad celebranda mysteria, ad edendam fidei confessionem, ad peragendos pios ritus, & alia pietatis exercitia. Ad refectionem corporis seu ad edendum & bibendum habent suas domus: Agapæ enim non institutæ sunt ut alius esuriant, inebrietur alius: quod domi potius quam in Ecclesia fit. Probè autem Agapæ Christianorum Veter. ab Agapis Hæreticorum, qui affectabant nomen Gnosticorum sunt discernendæ.

scernendæ. Agapæ Christianorum erant frugales in signum mutui amoris, & refectioem pauperum, & quatuor imprimis usus (notante Hildebrando in Antiquit: suis selectis p. 178.) habebant (1) Ex his S. Eucharistia instituebatur: (2) Clerus sustentabatur (3) ad externum cultum facientia, & conservationem ædium sacrorum &c. comparabantur & (4) refectio ac sustentatio pauperum procurabatur. Agapæ hæreticorum tales erant, quales autores sui, amatoria sc. convivia, quæ delicata fercula & juscula redolebant, ut loquamur cum *Clem. Alexandrino lib. 1.* Peideias ad quas cum erat deventum immo- dico cibo ac potu ad vomitum usque alvum implebant, ac vagam libidinem, promiscuosque concubitus exercebant &c. teste Epiphanio quæ omnia detestabantur sinceri Christiani. Imputabantur autem & talia optimis Christianis à perversissimis gentilibus distingvere inter veros & Pseudo-Christianos nescientibus, nec volentibus.

Quod spectat locum ex Epist. Jud. v. 12. qui plane concordat cum loco 2. Pet. 2. v. 13. perstringit ille abusus avitos in Agapas invecos. Ita enim Judas juxta *optimam Schmidii Versionem.* *Hi sunt in Agapis suis convivantes vestri scopuli, quibus allidimini, absq; ullius metu semetipsos pascentes. Nubes aquis carentes, a ventis temerè circumagitate, arbores fructus perdentes, bis emortuæ, imo eradicatæ.* Petrus cap. 2. *Reportari mercedem injustitiæ, ut quæ voluptatem existimant, si quotidie luxuriantur, quoque sunt labes & maculæ, & in Agapis suis convivantes, vos ludibrio habentes, quales fuere Nicolaitæ &c. qui Pseudo-Didascali, clanculum se in Ecclesiam insinuarunt, ut itaque eo melius vitari possent opera ipsorum, tanquam fructus pestiferæ doctrinæ, fidelibus depinguntur in ipsis conventibus ἑτοί εἰσι ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχόμενοι* oblectantes se in fraudibus suis. Können ihre Schelmstücke fein falsch belachen / und sich damit rühmen / qui mos improborum qui sunt δένδρα φθινοπωρενὰ *arbores fructus perdentes* salutatur Judas v. 12. Metaphorice Christianos male viventes, fructumque Christianismi eludentes. Similes arboribus quibusdam, fructus promittentibus quidem, sed antequam maturescant perdentibus, sive injuria aeris externa, ut quando frigore, aut siccitate nimia, aut erucis fructus perduntur. Tales salutatur Apostolus male moratos Christianos, qui ex congenita malitia fructus

fructus



fructus Christianismi intra sese perdunt, à quibus Agapæ dehonestantur. Fas ergo non sit illuc admitti, qui postea intemperanter abdomen suum ad lasciviam, alibi replent absque ullius timore vel DEI vel Ecclesiæ, se ipsos pascentes. Hi nebulones, cum multa promittant, intus tamen aridi sunt, atque inanes, quemadmodum nubes procellis agitatae, spem pluviae faciunt, sed statim evanescent in nihilum. *Petrus addit, sicci & vacui fontis similitudinem. Sunt veluti arbores, ut supra notavimus fructum perdentes, bis emortuae.* Nam præter hoc, quod vitam vivunt Evangelicæ doctrinæ minus respondentem, etiam alios secum, cum perversa doctrina, tum exemplo pravo trahunt in perniciem, ac eradicatae, hoc est similes sunt arboribus radicibus evulsis, & quibus vix ulla spes superest revirescendi. Nihil intus habent succi, utcumque appareant folia.

§. IV. Patet & ex his (1), quam periculosum sit divinis institutis aliquid addere, quod factum est, à Corinthiis, qui sine verbo DEI convivia hæc admiscuerunt. Nam homines plerumque inventionibus & additamentis plus tribuunt, quam divinis institutis, & quæ sunt necessaria, per ista quodammodo, minus diligenter observantur, & nonnunquam planè negliguntur. (2) Inconsideratè agere nonnullos, sub specie pietatis latitantes, qui tam noxios serpentes (solche Heiligen Beisser / solche Fanatische Schleicher) alunt, atque omnes suppetias ferunt. Utinam plus iudicii in quibusdam aliàs bonis viris foret, qui dum erga improbos nimis benigni, nimis creduli esse appetunt, magnum toti Ecclesiæ multoties damnum adferunt, quod historia Pietistica sat evincit.

§. V. De Osculo in Agapis usitato quæritur. *An viri & femina promiscuè osculose exceperint?* Quod oscula in primitiva Ecclesia fuerint recepta & probata, ex ipsis sacris, (ut propter angustiam paginarum scriptores Ecclesiasticos taceamus) Rom. XVI. v. 16. I. Cor. XVI. v. 20. &c. sat patet, jam in superioribus citatis. Eleganter Kornmannus citante Hekelio tractatu de Osculis in Proemio scribit, *Quid preciosius homo homini porrigere possit osculo, cor ipsum tradere nequit, multo minus animam. Os igitur ori amici admovet, ut ubi anima quæ dicitur una amicorum in duobus corporibus, tanquam in confinibus & terminis territorii amicorum conveniat &c.*

C

Oscula

Oscula illa humana, ut divina inscrutabilia taceam, in usu probato, vel sunt *honestatis*, *dignitatis*, *charitatis* (oscula *falsitatis*, & *voluptatis* planè detestamur) Osculum *honestatis* vel *humanitatis*, quo hospites advenientes olim & nunc excipiuntur, euntesque se salutabant mutuò, *salutativum* hinc dictum, & Italis & Gallis, Germanis, Anglis, Hispanis, Judæis, Persis, Turcis, Muscovitis hodie & perquam familiare esse experientia evincit, talia non esse detestanda, si fiant labris tam decentissimè, quam humanissimè ex toto pectore non more purè civili vel Politico (abusivè sic dicto) unusquisque ingenuus concedet; debent enim suos natales, magis civili humanitati, quam venenosæ voluptati. *Muscovitæ* (hodie & ex novellis fat noti) tempore *paschali*, ubi sibi obviam facti, se osculantur amicè, & alteri, cum lætitiis acclamant. *Christus resurrexit*, respondet alter, *verè resurrexit*, mos certe probandus. *Dignitatis* oscula, sub se tenent, *reverentiæ*, *observantiæ* atque *solemnitatis*, de quibus eruditè disserit. *Job. Fridericus Heckelius in tractatu suo de Osculis cap. 3.* ubi & permultos citat optimos autores hanc materiam illustrantes, quos & alios citare non licet, chartæ parentes. Institutum & nostrum non permittit hodiè producere *oscula quæ ex hoc capite meretrix Romana s. Pontifex* sibi arrogat, ut omnes omninò homines, cujuscunq; sint dignitatis, ordinis atque præminentia, quando videlicet primum in conspectum ipsius prodeunt distantibus spatiis, ter ante illum debeant genua flectere, eumque osculari cogantur, hac quidem quadruplici differentia adhibita (*notante Christoph. Marcello Lib. 3. Rituum Eccles. Romanæ Sect. 4. edit. Venet. 1516*) ut solus *Imperator*, *Reges* & *Principes* manum dextram, *Episcopi* genu, *Vulgares* & *gregarii* pedes osculentur. Quod autem differentia hæc rarè observata sit, ut alia mittamus exempla: *Carolus IV.* Imperator R. & *Carolus VIII.* Franciæ & Navaræ Rex, illustrissimo suo exemplo, a pedum exoscultatione (ex detestando fastu Pontificis) minime exempti, jam pridem comprobarunt, sapiunt notam Antichristi, & non humilitatem, quam nos docet schola Christi. Silentio autem præterire non possumus, (ferente sic occasione) *Solemnitatis* osculum, quod in *Orthodoxis* Academiis à *Veneranda Theologia*, *prudentissima Jurisprudencia*, *solertissima Medicina*. *Callida Philosophia*

*Philosophia amasiis suis, hoc est recens creatis suis Doctoribus, osculum hinc Academicum dictum, haud illaudabili more porrigitur, quo ipso splendissimi Domini Candidati de Concordia & conjunctione in Facultatibus firmiter ac severè servanda monentur, pro dicti confirmatione extantia firma producentis nonnulla testimonia. Summe Vener. Fctis Theol. Senior, Præceptor meus omni observantia sempiternum colendus Dn. D. Fechtius in Appendice Exeges. B. Schomeri in Epist. Pauli. Oratione prima in Promotione B. Samuelis Starkii, Theologi & Presbyteri quondam in nostra Academia Celeberrimi, ad osculum & amplexus ita differit. Salve Excellentissime Domine Doctor, quo te nomine primum compellavi, & hoc Charitatis osculo nunc excipio. Vere hoc charitatis Symbolum est, quo non mihi tantum, sed omnibus Collegis tuis, imo universis Christianis obligaris, illo enim admoneris, non ambitione, non malevolentia, non odiis non cupiditate vindictæ, concordiam inter ejusdem Reipublicæ cives turbari debere, sed amorem intemeratum, pacem amabilissimam, mansuetudinem Christiano nomine dignam, rebus omnibus anteponendam esse. Et ut charitas virtutes in se complectitur omnes: Ita & te in omni bono pioque opere lucere perpetuò debere &c. addimus (2) Viri quondam in hac Academia celeberrimi jam B. Christiani Woldenbergii Amici B. Patris mei integerrimi cum Excellentissimum Jctum jam & B. Habermannum Juris Doctorem ex meritò crearet, hoc erat monitum in Orat. inaugurali de vitâ & honestate Clericorum. Porro complexum & osculum adjungo, ut erudiaris, cogitationes, studia & actiones tuas ad amorem atque concordiam retinendam salva semper justitia, salva veritate, instituendas & dirigendas, & id enixè agendum esse, ut animum omni emulatione, ambitione, contentione, alienissimum possideas; Superiori obedientiam ac reverentiam, Aequali consilium, & auxilium; Inferiori custodiam & disciplinam tribuendo, denique omnes illo osculo Charitatis complectendo &c. Et ut harmonia O Facultatum pateat, ex Jubileo festo Academiæ patriæ Anno superioris Seculi XIX. celebrato, cito (1) Jacobi Fabritii Medici tum temporis Celeberrimi orationem in renunciatione novi Medicinæ Doctoris JOACHIMI STOCMANNI habitam ad osculum ita differentis, ipse porrò sic te nunc in nostrum cooptatum ordinem plurimùm salvere jubeo, atque*

ut antiqui primum advenientes osculo excipere solebant, sincera benevolentia, ac mutui amoris symbolo: sic & Te amplexu hoc & osculo, uti nominant, pacis hortor ac moneo, ut ab omnibus altercationum, & obtreptionum scopulis, velut à cancro aut gangræna tibi caveas, omnemque simultatum memoriam oblivione obruas sempiterna. Quotidiè ante aures tuas tintinet vox ista, quam Rex Numidarum Micipsa Mussinissæ Regis filius, Jugurthæ patruus, brevi ante mortem, regni sui successoribus, vel veritate, vel laconica brevitate tanquam ex oraculo pronunciavit: *Concordia res parvæ crescunt, discordiâ etiam maximæ dilabuntur*: Et ut ille Nobiliss. Poeta de Apibus scripsit, quod quoties in prælium exardent:

Istarum motus, nec non certamina magna

Pulveris exigui jacta compressa quiescant:

Non aliter & nos, qui in studiis laborem, atque apum industriam referimus, quam simul facilitatem, ac naturæ mollitiem in deponendis offensis exprimamus.

(2) *Petri Sassi Professoris t. t. Philosophiæ & Decani Facult. Philosophicæ.* Postremò his omnibus, adjicio amplexum & osculum pacis & concordia, in signum & pignus novæ amicitia, & societatis, cum Amplissimo Ordine Philosophorum contractæ, ut semper memineritis, non tam ad rationes subtiles, & regulas intricatas Philosophiæ intendendas, aut lites instituendas, quam ad pacem & concordiam ferendam, in studio sapientiæ vos profecisse, ac cum sapientiâ & virtute, vinculum omnino, & indissolubile contraxisse. Sed specialiter ad osculum charitatis me accingo brevissimis, quod & salutatur dilectionis, benevolentia, inter Christianos usitatissimum, in sacris conventibus. Cum infans per baptismum Christo adductus & Ecclesiæ insertus esset, in primitiva Ecclesia mox Minister Ecclesiæ baptizato osculum figebat cum amplexu in imo pede, ubi *Cyprianus Epist. 59. ad Fid. scribit*: Quo innuebatur pax & gratia, quam baptizatus cum Christo & ecclesia inierat. Et hoc osculum denotabat cognationem spiritualem, quæ Ministro cum baptizato intercedit. *Vid. B. Avi mei Pia Desideria num. 6.* Ita preces suas infucati Christiani prima vice in silentio, secunda autem & tertia clara voce pronunciabant ante administrationem Eucharistiæ in sincera pacis & ἀνταγωγῆς charitatis, imo reconciliationis

ciliationis animorum, ac cujuscunqve injuriæ remissæ mutuiqve consensus in fide signum, adjuncta salutatione. *Pax tecum* osculo claudere sunt soliti. Confer *Hildebrandum in Enchiridio de prisca & primitiva Ecclesiæ sacris publ. cap. 1.* Quod osculum nonnulli Doctorum, clausulam quasi & confirmationem orationis, vel potius *Amen* reale vocarunt. Hoc osculum sanctum dictum est. Quoniam autem arte Diaboli persæpè fraus irrepebat, ita, ut viri etiam licet locis, a mulieribus, non aliter ac in templo quondam Hierosolymitano, & hodiè in Synagogis sic dictis Judæorum distincti, furtim se illis immiscerent, easdemqve vicinas, quippe & proximas lascivo animo, cum scandalo multarum deosculari tentarent, planè in sacris tandem conventibus prohibita sunt oscula, imprimis inter viros & foeminas, sic & hic ritus pro jure & libertate Ecclesiastica est abrogatus in conventibus virorum & foeminarum, *vid. Kortholtus, Comment. in Justin. & valdè dubitatur, an unquam permissum fuerit ut viri & foeminæ se promiscuè osculo excipere licitè potuerint.*

§. VI. Qv. & ultimò (plura enim non permittit instituti ratio) pro ratione præsentis nostræ Ecclesiæ. *Utrum Agapæ iterum sint introducenda?* In Græcia & apud Armenios vestigia quædam Veterum adhuc Agaparum apparent, hi enim die Resurrectionis Christi, sumta synaxi allatis epulis inter se communiter convivare solent, ut notat *Baronius in Annal. ad Annum. 57. & Schurzfleisch. §. 27.* *Similem inquit: Agapis ritum, hodierni Graci imitantur & retinent, atque in magna cœtuum suorum celebritate, munera, panem, vinum, oleum, cereos, & id genus alia frequenter offerunt, & insigni cum apparatu ad sacros usus, ac sacerdotum commoda conferunt, atque convertunt.* Allegat *Thom. Schmith. in Epist. de Græcæ Ecclesiæ hodierno statu, provocat & Antonium Legerum* in suscepta ad Græcos peregrinatione Celeberrimum, cujus verba ex Epistola non edita enarrat *Svicerus* in thesauro Ecclesiastico. Ita vel hodiè nonnullos videmus inter nos opulentiores, de bonis suis distribuentes Pauperibus & Orphanis statis quibusdam temporibus; Qvi sanè pius mos, & si abest luxus & ostentatio, meritò quam maximè est laudandus, si autem citata adsunt, melius est abstinere, quàm subtegmine speciosæ liberalitatis Deum ludere. Simile quid hodiernum in Ministerio Rostochiensis

chienti observari licet ex lege XVI Ministerii Rost. (cui accedere omnes recipiendi Ministri Ecclesiae obligantur) quae ita sonat: *Ut Ministerii convivium puta Charitativum sua praesentia semper ornet, nec nisi per se ipsum, vel Collegam indicata sufficienti excusatione emanet.* His & adjungi possunt convivia sic dicta olim Rectoralia, quando Rectores Academiae, honoratiores, & graduatos solebant convivio quodam excipere, (quae autem propter luxum nonnullorum & tempora hodie difficiliora abrogata novimus) Nec non convivia sic dicta *Bürgermeister und Rathsh. Herrn. Schmause* in electione novorum Consulium & Senatorum, uti & Concionatorum introductorum &c. ad quae invitati convenire solent, epulasque habere, ad corroborandam inter se fraternam Collegialem & intimiorem charitatem, & si usus hicce separatur ab abusu, non omnino erit improbandus. Ad hoc problema autem pro nobis respondent *Optimi Autores der Unschuld. Nachrichten* quorum studia non sat decantare possumus; (DEUS retribuatur illis omnia fausta) ad annum „1703“ p. 137. Etsi non diffiteamur in ipso Agaparum negotio multas corruptelas etiam apud Veteres fuisse exortas, quarum etiam causa institutum istud abrogatum est, eosque adeo inconsultè acturos, qui Agapas in Ecclesiam nostram reducendas docuerint, rem quippe à nostris moribus magnoperè alienam: Tamen boni quid ex illis ad nostros etiam usus derivari posse existimamus: Utinam qui opulentiores sunt, post S. Coenae usum fratribus sororibus atque inopiâ pressis, qui simul ad mysteriorum communionem accesserint, in aedificio quodam publico. v. g. Ptochotrophio, Gerontotrophio, Orphanotrophio, convivium modicum procul fastu, procul luxuriâ darent, cui minister quidam Ecclesiae interesset, precibus inchoans, finiensque, atque ad laetitiam in Domino, & amorem mutuum, convivas exhortans? Esset hoc vivum charitatis ἀντιποικιλίας specimen, quo tepescentes flammæ Christiani amoris aliquantum resuscitari possent.

Sed plura jam non addo, & finio, DEO autem ago gratias pro clementer mihi praestito auxilio, nullus dubitans, quin & in posterum me ducturus sit in omnem veritatem. **Suo Nomini sit gloria in omnem aeternitatem.**

Ad

Ad  
*Clarissimum & Nobilissimum*  
**DISPUTATIONIS AUCTOREM.**



Voties Te intueor, Optime POLZI, & aliqvod mihi Tecum colloqvium intercedit, Parentem Tuum usurpare oculis & cum eo cædere sermones mihi videor. Ita enim animus in Te ipsius, ita mores ad omnem honestatem compositi, ita pietas in DEum & versandi cum aliis innocua non minus quam jucunda consvetudo, ex omnibus dictis factisque Tuis elucet. Erat ille animæ meæ ex longo tempore curator, quem ceu oculum meum dilexi, & ob fidem atqve sollicitudinem salutis meæ invigilantem in precio habui, ejusque ex hoc orbè discessum amaris eqvidem lacrymis deflevi. Cum verò imaginem in Te ipsius quotidie magis magisque renovari, Teque ad solidam viri eruditionem, cum intemerato pietatis studio conjunctam, quotidie magis magisque evalescere video, & Patri Tuo, è cujus quasi cineribus exurgis, & Tibimetipsi, qui gloriam Paterni nominis ad posteros propagare laudatissimo successu laboras, ex toto pectore gratulor, DEumque precibus meis sollicito, ut majorem Tibi quotidie donorum suorum mensuram adjicere, ut Te vas aliqvando gloriæ suæ in Ecclesiâ promovendæ facere, & omni Divinâ benedictione Te domumque paternam coronare velit. Scr. XXI. Maji MDCCXI.

**JO. FECHT. D.**

*Clarissimo*

*Clarissimo Domino* **POLTZIO,**

*ex suavissima sorore unicâ*


Nepoti unico, Paternarum virtutum æmulo felicissimo,  
Theologiæ & bonarum literarum Cultori indefesso,  
*Authori & Respondenti Præsentis Disputationis*  
S. P. D.

**PRÆSES.**

**A**mplissimam imo & jucundam de Ritibus S. differen-  
di materiam suppeditat veneranda Antiquitas.  
Novimus ritus in S. literis ab ipso DEO T. O. M. abs  
Salvatore nostro in diebus carnis suæ, ejusque Discipulis  
conditos, præscriptos, commendatos tam in V. quam in  
N. T. Novimus & cum tota lege ceremoniali V. T. ritus  
expirantes. Novimus ritus à Christo & Apostolis com-  
mendatos & usurpatos, quos autem retinere & abro-  
gare in Ecclesiæ manu fuit. Novimus ritus Ecclesiasti-  
cos, quorum alii fuere universales, alii particulares, &  
illos novimus abrogatos propter abusum iisdem invec-  
tos, ad quos & spectant Agapæ, Convivia illa charitativa  
fraternæ Charitatis symbola. Quem ritum ex antiqui-  
tate illustrem, Tibi elegisti, optime POLTZI, enuclean-  
dum. Prima hæc sunt tua conamina, perfectiora pluri-  
ma spondentia. Ego de liberali Eruditorum congressu  
Tibi gratulor, DEumque veneror, ut studia tua optimè  
coepta Divinæ benedictionis incrementa indies habeant.  
Prosperet Te Servator, ac omnem vitam Tuam locupleti  
sua gratiâ fecundet, ut in Solamen Opt. Matris tuæ vivas  
& in Te Optimus jam B. Parens post cineres vivat. Vale.

Dabam è Mus. meo die 29. Maji

Anno MDCCXI.



*coll. diss. A. 92, uis. 7*